

V C  
2918





h. 2





V<sup>c</sup>  
2918

# Oratio

Carmine scripta in obitum

ILLVSTRISSIMI  
ET POTENTISSIMI  
Principis ac Dn. Dn. AVGVSTI Ducis  
Saxoniae, S. R. I. Archimarschalli & cre-  
andis Impp. R. Vllviri, Landgrafij  
Tur. March. Mysn. & Burg-  
grafij Magdeburg. &c.

HEROIS INCOMPARA-  
BILIS, ET IMMORTALIS.

Pronunciata in publico congressu Acade-  
miae VVitebergensis.

*Subiectissimae gratitudinis ergo à*

PETRO ALBINO  
Niuemontio Profefs. Publ.



VVITEBERGÆ

Excudebat Matthæus VVelack.

Anno M. D. LXXXVI.





D. AVGVSTI  
SANCTISSIMÆ RECORDATIONIS,  
FILIO

ILLVSTRISSIMO ET PO-  
TENTISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO

D. CHRISTIANO

DVCI SAXONIÆ, SACRI ROM:  
IMP: ARCHIMARSCHALLO ET PRINCIPI ELECTORI,  
LANDGRAFIO TVRINGIÆ, MARCHIONI MYSNIAE,  
BYRGGRAFIO MAGDEBVRGENSI, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISS.

Dedicat

*Petrus Albinus Niuemontius.*





O R A T I O  
D E D. A V G V S T O  
M A G N O I L L O S A X O N I A E  
D V C E.

H A B I T A A P E T R O A L B I N O  
N i u e m o n t i o .

**N** lachrymas ego nunc iterum & lugubria soluar  
Verba gemens? nec sit modus & meta vlla doloris?  
Proh luctus noua causa redit, proh maxima magnis  
Funera funeribus cumulantur, crudaq; crudis  
Vulnera vulneribus geminant renouata dolores?  
Iam tacito propè erat sensu coitura cicatrix,  
Inflicta his terris obitu pranobilis **A N N A E**,  
Munia que **M A T R I S** nuper, dum fata sinebant,  
Sedula pro nobis atq; in defessa gerebat.  
Nunc **P A T E R** huic **P A T R I A E**, ne desit cladibus istud,  
Additur ô dolor, ô fatum lugubre **Misenis**,  
**Tyrgetisq;** **Sacisq;** simul, **fidisq;** **Nariscis**;  
Imo **Teutonidum** genti, **Imperioq;** **Sacrato**.  
O Dea, que magnis successibus inuida semper  
Spes premis egregias, satis est satis, inuida parce,  
Parce, nec humanis affer fata vltima rebus.  
Sed frustra te caca Deam cœlog; locatam  
Sors facimus. **D E V S** est vnus, qui cuncta gubernat,  
Huic dare nos fas est vni sacra thura pceesq;  
O **Numen** cœleste, mala si **Mysnia** mente,  
Non animum rebus forsân moderata secundis,  
Improba si voti, si turpis prodiga lingua  
Te lesit, veniam indulge, irarumq; procellis  
Pone modum, & fessis propius benè consule rebus.



Supplicia haurimus iam nunc sat multa gementes  
Hic nocuit pecudum generi inclementia cæli:  
Illic ingentes dudum fera pestis acervos  
Prægravidam tumulis terra demisit in aluum,  
Nec tuti à laribus petière loca auia dices,  
Corripuit damnum subito lethale reuersos:  
Parua Ceres alibi penus omne exhausit & arcam,  
Et quamuis nostro Mauors procul abfuit orbe  
Hactenus AVGVSTI cura; tamen altera gens est  
Bellorum assiduo tantum non perdit a fluctu:  
Scit Rhenus pater, & viridis vaga flumina Mosæ:  
Scit Rhodanus, Ligerisq;, Garumna, & Sequana diues.  
Nunc quoq; nescio quid metuendum est ordine fati  
Nobis qui longo sub amica degimus umbra  
Tempore securi, spumantis ad Albidos undas.  
Nulla lucis sola est, Modo ne de sede silentium  
Euocet infernas supera ad conuexa Sorores  
His maius meditata malis discordia vecors:  
Quam tu auerte DEVS pestem, irarumq; procellis  
Pone modum, & fessis propius bene consule rebus.  
Hactenus hæc. Quid enim nobis nisi vota supersunt,  
Dum toties læctu dolor extimulante recurvat,  
Horrorum & feruor semper nouus urit & angit?  
Fas tamen & puchras laudes celebrare merentum,  
Inclytæ ne virtus iusto fraudetur honore;  
Quanquam ô tanto oneri nimis impar nostra ferendo est  
Musa, nec ad summum splendorem Principis vllum,  
Vel minimum, adijciæ monumentum posse fatendum est.  
Quicquid id est, Pietas iubet, & benefacta loquuntur:  
Gloria in officio est, in Musa deside crimen.  
Sed non hic referam proauita insignia laudis,  
Non at auita legam tot fortia facta, nec ortum

Regalems



Regalem expediam, non est labor iste d. ei.  
Et prius hac, bene si memini, sudavit arena  
Noster equus, restant dicendaq; plura deinceps:  
Illa modo attingam, qua nobis proxima, quorum  
Nondum etiam memores subire obliuia mentes.

Quo non ALBERTI penetravit Martia virtus?

Hunc primo Syrijs Pietas conspexit in oris  
Calcantem attonito Christi vestigia gressu:  
Qua tunc religio fuit. Inde ad Caesaris aulam  
Cognati accitus, specimen non edidit unum  
Virtutis. Micat ante annos Heroica virtus,

Mox sacri Imperij gestans vexilla furentes  
Infregit Caroli vires ad Nussica rura.

Sublato & fatis Burgundo restitit illi,  
Qui successor erat vitioso à corpore dictus,  
Lilia trina gerens in priscis Carolus armis;  
Maxime ne populos tibi Rex subduceret hostis

Emiliane, vetus retinet qua Belgia nomen,  
Flandria testis erit, Gallos toto equore campi  
Auspicijs Alberte tuis, & robore, pulsos.

Imperij tum gessit adhuc Fridericus habenas,  
Et Nato dotem seruari gessit amplam  
Vnius virtute viri. sed & Hunnica castra

Urbibus obsessis Albertus depulit Heros,

Qua sua Taurisci & coluerunt Pannonnes arua,  
Unus homo Imperij decus asserit, asserit idem  
Splendida Teutonidum placido patrimonia Regi,

Postea ter senos gessit fera bella per annos  
Emiliane tuis sub sceptris, rura Brabantus

Qua & Hollandus arat, Flanderg; & Frisius acer.

Hinc DEXTRA Imperij dictus MANVS, inde ROLANDVS  
Teutonidum, Asonij donatus velleris auro.

Albertus  
Avas AV-  
GVSTI  
Electoris.

1465.

1474.

1486.  
& prius  
1472.

A 3

Quin



1471. *Quin etiam hunc petijt spatiosa Boemia Regem,  
Sed stolidam impedijt rudis inconstantia vulgi.  
Tandem Frisiacos, bellorum premia, campos*

Ob. 1500. *Casare dante tulit. Sed mors citam denegat usum.*

Georgius  
parvus  
AVGVSTI.

*Non minor in NATIS animus fuit. Indytus alter  
Bellorum studijs prima sub flore iuuenta.*

*Nam patriae inspector vir: utis & emulus, vrbes  
Belga tuas domuit, post Frisica castra secutus.*

1513. *Quin etiam ipse Thammis flammis hostilibus vsit  
Post fera fata patris: Sed magnis obstitit ausis  
Improbitas hominum, fors an quoque inutile fatum.*

*Ergo dein placidas Pacis conuersus ad artes,  
Aurea Mysniacis ut secula reddidit oris,*

1525. *En subito in Furias miserandos egit agrestes  
Seditio, certam regnis minitatur ruinam:*

*Quos hic à vanis cogens desistere ceptis  
Contudit ad Franci sedes, & Vipparis undas.  
Nec minus imperio, quoties res poscere visa est,  
Fortem operam impendit, seu magni Caesaris hostes  
Ingruerent, seu bella fero cum Thrace gerenda.*

*Hic Princeps merito est nulli splendore secundus,  
Si dotes reputes fortuna & cetera dona,  
Vno hoc infelix, quod prolem perdidit omnem.*

Ob. 1539. *Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.*

Henricus  
pater A. V.  
GVSTI.

*Alter at Hesperias adolescens iuit ad oras  
(Dive AVGVSTI tuus pater) & Solyma petiuit,  
Templa, nec abstinuit bellis; verum inuida fata*

1498. *Obiecere bonis aduersa repagula captis.*

1500. *Captus ab hoste fuit, pedicisque innexus ahenis,  
Sed virtute Patris crudeli ereptus ab hoste est.*

*Multa tulit pelago, & terris, qua tempore Pacis  
Iucunde repetens, ceu priscae temporis acta,*

Ciuiibus



Ciuibus ipse suis crebrò narrare solebat.  
 Huic quod saluificas anida capit aure loquelas  
 Mysnia, se gratis animis debere fatetur.  
 Viuit ad huc, viuetq; olim dum stabit hic orbis,  
 Fama recens merita laudis, quam maximus ille  
 MAVRICIVS sibi Pellea virtute parauit.  
 Ille truces domuit Turcas in Pannonis aruis,  
 Tunc metuere Getas, Thracesq; & Caucasus ingens,  
 Blaccorumq; Alpes gelida atq; Deagrius Hamus,  
 Ore vel inuito Iouius te maxime ductor  
 Laudat, ut egregia tum fermè ex omnibus vnus  
 Excellens virtute decus Germanidos ora  
 Tutatus fueris, toties inuectus in hostes.  
 Tunc idem deiectus equo, & circumdatus armis  
 Fortiter euasit, praesens vitando periculum.  
 Hoc opus hic labor est, nec ubilibet obuia virtus.  
 Atq; haec bella quidem forti bis Marte peracta,  
 Non pro limite agri, sed religione fideq;  
 Non libitu suscepta vago, sed amore Tonantis.  
 Inde bis in Gallos pro Cesare Martia duxit  
 Agmina, victor ouans insigni laude potitus  
 Quà tibi Victorine sacris stant atria tectis.  
 Terribilis tunc Marte simul fuit hostibus, idem  
 (Tantus splendor erat) decus ob virtutis amatus.  
 Ille Lycaonia pacem quoq; reddidit Oira,  
 Arbitrioq; suo lites, atq; arma diremit.  
 Ille etiam patrijs externos finibus hostes  
 Auertit Caroli victricia signa secutus  
 Iudicioq; suo non est deceptus: iniquo,  
 Quod si non faciat, sit patria prada voloni,  
 Oppida qui cingat flammis agrosq; rapinis  
 Hauriat, & caros infestet caede penates,

1539.

Obiit

1541.

Mauricius

Electoꝝ tra-

ter AV-

GVSTL

1542.

iterum

1552.

1544.

1545.

1547.

Nec



Nec teneris linguat precordia casta puellis,  
Nec parcat natis pendentibus ubere matrum.  
1550. Illi Parthenopes obfessa fœdera Pacis  
& sequenti, Obtulit vrbs, Ducis ingenium mirata fidemq.,  
Ille etiam est ausus Carolo concurrere Quinto,  
Quem penes Ausonij fuerant moderamina regni,  
Hesperiaq; simul, nec non Germanidos ora,  
Et quicquid nouus orbis habet sub sole cadenti.  
Tantus amor Fidei, propè quam nutare videbat,  
Tantus amor Patria, propè quam fera vincla premebant,  
Aurea libertas ergo hoc est vindice nobis  
Reddita, & antiquum decus hoc sub praside mansit.  
Sis famulus quem degenerem natura creauit,  
Libera colla iugo gerere, & dare gentibus orbis  
Iura, rebellantum duris premere ora lupatis.  
Parcere subiectis, hæ sunt audacibus artes  
Germanis; pereat qui vincla infamia nectit  
Ingenuis, vinclisq; gemat crepitantibus ipse.  
Tantum equidem facinus ( quantum nec Martius ausus  
Hannibal ) instaurans reuerenda fœdera Pacis,  
Legibus hanc sepsit certis, aliosq; decenti  
Compulit officio fungi, & se lege tenere.  
Scissum tunc animis studium in diuersa, reductum est  
Rursus in antiquam virtutem animosq; viriles.  
Scilicet hoc virtutis opus, qua maxima queq;  
Perficit, & studio pauca intentata relinquit,  
Maximus illo Heros ceu semper voce ferebat:  
CVNCTA PROFVND A LICET SE FLVMINA POSSE VADARE  
DANTO DEO EVENTVS, ATQVE ASPIRANTE LABORI.  
Multa huic cum magnis communia Regibus orbis,  
Si rectè attendas animum, pendasq;, fuerunt:  
Auditum est ingens tonitru, quo percita mater

Edidit



Edidit infantem citius sub luminis auras,  
Natalesq; Ducis decorati hoc omine, signant,  
Impetus excellens fuerit quam mentis in ipso.

Nescio quas sortes huic prodidit Itala tellus  
Codice ab Andini vatis, velut ante notarat  
Induperatorem, cui dat vagus Adria nomen.

Vt tua de statua facies Diterice reuulsa est,  
Qua Nea structa polis Latio stat splendida campo:  
Sic quoq; Mauricij caput a ceruice recisum est  
Turb. ne ventorum, qua fert vrbs nomen ab Arcto.

Clytus Alexandrum protexit, equesq; Ribessus  
Mauricium, vitæ dum prodigus arma laceffit  
Turcica, nec simili numero nec viribus æquis.

Quid multa? Hic Macedum ductorem fortibus ausis  
Æquasset, si non iustis velocius annis  
Mors rapiens dignum meliori in sede locasset.  
Ingrato Heroas tales cœlum inuidet orbi.

Tandem hic ut rabidas prædantium auerteret iras  
(Alberto grassante) suis, patriæq; saluti  
Consuleret, iustam Princeps commotus ad iram,  
Occurrens hosti, victum dare terga cœgit.  
Sed magni stetit hac illi victoria, magni.  
Nam sic pro patria dum pugnat maximus Heros  
Proq; focis, mortem pulchra pro laude paciscens  
Occumbit, superasq; euadit Victor ad arces,  
Lustra sui ut septem nondum transfegerat æui.

Teutonia heu puncto, & seclî decus, occidit vno,  
Occidit ille Asiae terror victorq; Getarum:  
Tempore queng; vno magni timuere Monarchæ:  
Et qui par fuerat summis dum secla steterunt,  
Si atatem spectes, animung; & facta, Monarchis.

Huius erat frater, quem raptum morte dolemus,

B

Maxi

1542.

Vide Pro-  
cop. &  
Sic id.



AVGVSTVS Dux  
Sax Elect.  
Henrici F.  
Alb. N.

Maximus AVGVSTVS. Par aspice nobile fratrum,  
Praclarum ò decus, hos patre uno, & matre creatos  
Heroës, hominumq; hæc lumina nata saluti,

Cedite Tindaride gemini, cum castore Pollux,  
Cedite, laudarunt vos immortalia vatum  
Hactenus, atq; alto fixerunt carmina, cælo.

Hic vobis palma eripitur: Par nobile fratrum  
Saxonidum obscurat vestrarum nomina laudum.  
Nunc nunc tempus adest, cum celsa ambobus Olympi  
Sede locum dabitur, vestras nec iam amplius inter  
Clara polo micuisse faces mirabimur astra.

At tua quo dignè referam præconia verso  
Diue recepte polo. Tua terris didit a fama  
Exigua haud capitur, metis contracta, papyro.  
Audiant ergo polus, mare, terra, & quicquid ubiq; est,  
Audiant hæc si quis Thulen colit, audiant Indus,  
Audiant Ethiopum tellus & Floridus orbis:

1526. Die  
31 Iulij  
mane post  
M 5. m. 38.

Nascitur AVGVSTVS gelidæ propè flumina Muldæ,  
Quà stat in ariferis opulenta Friberga Sudetis,  
Tempore quo procerum Rex Ferdinandus habebat  
Concilium, hic ubi prisca iacent contermina Rheno  
Mœnta, qua Nemetes olim incoluisse feruntur,  
Cæsareasq; fouens vetus vrbs aliquando cohortes  
Nomen ob id Craiura tulit: illo & Pannonæ anno  
Occubuere, fuga subitis terroribus acti,  
Quà tot nuda tegit campus Mogacius ossa,  
Et Rex limoso periit Ludouicus in amne.  
Dicite Pierides (nam vobis lapsa sub undas  
Ortaq; nosse datum est) leto quæ sidera cælo  
Splenduerint, superas tunc cum productus in auras  
AVGVSTVS, patrijs nova fulsit stella sub oris.  
Flava pruinosa aurora fugauerat umbras,

Phœbus



Phæbus & Hesperijs remeabat letus ab undis,  
 Cum tulit ac partu feliciter edidit illum  
 Mater, ab antiquo Venedorum stemmate creta,  
 Fortunata dies, que sic voluentibus astris  
 Ultima præcurris Quintileis ante Calendas,  
 Hanc tibi læticiam tellus opulenta metallo  
 Debit, eximij felix modo Principis ortu,  
 Fallor? an Augustum circa vltima secula reddi  
 Astra, noui in cunas pueri officiosa, monebant:  
 Astifer incedens Leo anhelos ante iugales  
 Dux erat ætherie primo sub limine turba,  
 Regia corda ferens, generosi & pectoris instar,  
 Inde subibat ouans niueorum agitator equorum  
 Delius, ingressum præbens felicibus astris,  
 Sancta sequebatur, qua spicæ munera gestat,  
 Virgo, regitq; manu trutinantes pondere lances,  
 Post hanc dirum animal, violento cuius abictu  
 Occidit aurato gladii aspiciendus Orion,  
 (At iam bellua trux caudam contraxerat uncam)  
 Phylliridesq; senex iaculis armatus & arcu  
 Ibat, & Egoceram sexta de sede vocabat,  
 Dilectusq; Ioui puer vda præditus urna  
 Orbe sub occiduo stabat, piscesq; gemellos  
 Flumine fundebat. Sequitur quem portitor Helles,  
 Cuius flaua retro conuersus terga premebat  
 Falctenens, Latia latuit: qui Diuus in ora  
 Aurea sed nitidi lustrabat cornua Tauri  
 Cynthia, qua medijs stant ardua culmina cæli,  
 Et secum comitem te Prænestina traherat,  
 Vota libens hominum, Dea, que successibus implet,  
 Tyndaride at iuuenes medium te magne tenebans  
 Iupiter, ad Natam ducentes tramite recto.

Catharina  
 Duc. ssi  
 Mechelbur-  
 ga mater  
 AVGVSTI.

Ex schema-  
 te genealogi-  
 co constituto  
 ceteris

munitis?  
 vinctis  
 vinctis  
 vinctis



Non ea tunc agitabat aues intent a capistris  
Mollibus, ardentis sed feruida brachia cancri  
Humeſcabat aquis, Martemq; in amica vocabat  
Auxilia. Ille fugit gressu per signa citato,  
Ut sperat a premat Nemeai terga Leonis.

Pleiade sed Natus nitens pernicibus alis  
Et bonitate pedum, prius insilit omne fausto,  
Et solitas tibi Rex operas promptissimus offert,  
Clauditur at duro paulo post carcere Mauors,  
Pralia ne tentet socijs aut fœdera rumpat.

Sic vaga per cœlum Dijs astra volentibus ibant,  
Munera qua vitæ tulit Heros, luce sub illa.

Protinus at Iuno infantem suscepit in ulnis,  
Et, meus, inquit eris, & cari coniugis, orbem  
Qui regit: assensit lauru sacra & egide Pallas,  
Nec minus, & nostro gaudebis munere, dixit:  
Tempus utrunq; scies, & quo prudentia laudi est  
Ciuitica, & armatas quo poscunt praelia dextras.

Vaticinium  
Vranie ex  
schemate  
natalicio.

Astitit Vranie, & cœli scrutata volumen  
Quod tenet aternas fatorum, & tempora, Leges,  
Sic ait, euoluens pæro impendentia fata:

Euge puer, generose puer, felicibus astris  
Edite, producent tibi mollia stamine fusa  
Lanifica, & vitæ non pensa breuissima. Parca,  
Namq; colorati duo Maxima Lumina cœli,  
Libera ab infestis radiorum, & tuta, figuris  
In domibus proprijs aliq; in sede gubernant  
Cetera; cardinibus summoq; in honore locata:  
Imperioq; premunt stellarum dira malaram  
Corpora, in ancipiti nutat quarum utraq; casu:  
Falcatusq; senex sua fert vestigia retrò:  
Ut vires capto sibi lassus uterq; queratur.

Frangis



Frangier & Mauors & Cœli filius audax.  
 Prælia Mars equidem tentat, turpiq; veneno,  
 (Quando aliter nequeat, nec vis modo profit aperta,)  
 Et lingua petulante, dolisq; astuq; nefando  
 Damna cicre cupit: Verum obstant fortia fata.  
 Omnia consilio vinctes & robore mentis  
 Præsidioq; DEVM & fida munimine turba.  
 Quamuis inijciet curas tibi sæpe molestas  
 Lubrica sors, cupietq; status pervertere opimos,  
 Nil nocitura adeo tamen est, celebrabere victor.  
 Quin tua prædamnis, venient quæcumq;, valebunt  
 Ardua fata, Deumq; fauor, quem sidera spondent.  
 Namq; etiam hoc magnum & memorabile prædico, cuncta  
 Quod stelle errantes sublimi in parte feruntur,  
 Quo tu celsæ puer momento es natus in orbem.  
 Fortia pro patria metuent te bella gerentem  
 Francigenæ, & priscis laudati Teutones armis,  
 Deniq; virtutemq; tuam dextramq; potentem  
 Agnoscet, tecumq; optabit fœdus inire,  
 Quicquid in Europa est à Gadibus ad mare Sæuicum,  
 Euxini à populis ponti, trans ostia Rheni.  
 Orbe vel inuito maiestas nominis illa  
 Ampla tui crescet, stabuntq; potentia sceptræ.  
 Nec tamen inuictò laudatus pectore tantum,  
 Armatusq; DEO duce Maiestate verenda:  
 Sed multis alijs florebis dotibus auctus.  
 Plus & eris studio Pacis, quam deditus armis,  
 Vnum maior erit seruandæ curæq; ciuem,  
 Mille neci ut tradas quàm bellis tristibus hostes:  
 Vt Patriæ patrem tua te dictura sit atas,  
 Et te sic placidi comitetur gratia vulgi,  
 Genitum quondam comitata est Vespasiani?



Iusticiaq; tenax eris obseruator & equi,  
Optima constituens velut alter iura Lycurgus.  
Inde sacras leges & iura tueberis acer,  
Non impunè nocens te quisquam ultore manebit.  
Anteferes animi semper moderata procellis.  
Te nec auaricies, & amor sceleratus habendi,  
Fada nec ebrietas, nec trux aget ira triumpho.  
Qualiaq; AVGVSTO sub Cesare secla fuerunt &  
Talia secla itidem Duce te cognomine stabunt.  
Augustus Caesar patria pater omne nomen  
Auxit, & Ausonij fines, & climata regni;  
Aurea constituit pacato secula mundo,  
Ataq; clauigeri postremum limina Iani  
Clausit: Et Augusto pax Electore redibit.  
Inuisent iterum te preside Numina terras.  
Qua scelerata hominum terris excedere vita  
Compulit, Alma Fides, & filia Iusta Themisthos,  
Et Pietas tuta in casu qua militat omni,  
Inq; tuo ponent hæc Numina pectore sedem,  
Teq; parem superis facient, cæloq; locabunt.  
Te Duce florebut doctæ his regionibus artes,  
Et constabit honos, constabunt premia Musis:  
Ad te confugient longis è finibus omnes  
Egregij arte viri, linguarum & munere culti,  
In tua qui soluent doctas preconia linguas,  
Extollentq; tuas ad Olympi sidera laudes,  
Sic cecinit Dea gnara poli & gratata recessit.  
In dolis ergo bona postquam bona signa dederunt  
Ingenij velox acies, & ad omnia promptus  
Ardor, ea est animis carorum cura parentum.  
Subdita, ut egregias puer assuefactus ad artes

Imbis



Imbiberet pulchros simul vno tempore mores.  
Nam quamquam fortes natura teste creantur  
Fortibus, excolitur tamen artibus insita virtus,  
Et speculi utilitas parua est nulla arte politi.  
Queritur huic vitæ custos morumq; magister  
Iohannes qui se Mauortem voce ferebat;  
At postquam hic sacris operam condixerat aris,  
Successisse loco te nouimus optime Riui,  
Attendora suis quem paruula nutrit vlnis,  
Hic ubi Saxonicas ostendas Vestu ala cunas  
Terra, sed ob raras animi mea patria dotes  
Fouit & egregio cumulauit munere honorum,  
Huic AVGVSTVS erat cura, qui pectoris omnem  
Depromens artem tenerum formauit alumnum.  
Sape pater nati studia vt flagrantia vidit,  
Quem grauis integritas iam tunc ornare sagacis  
ingenij & virtus, fragili incipiebat ab aeuo,  
Iudicio haud falsus patrio, prasagia dixit  
Talia: Cresce puer, fili dulcissime cresce,  
Magnus eris, nec te capiet Fribergia tellus.

Iohannes  
Mauortius.

Iohannes  
Ruius At-  
tendorien-  
sis V, Cl.

Vaticinia  
seu pra la-  
gia patris  
de filio.

Non mora eum celebrem Caesar Ferdnandus in aulam  
Acciuit, quâ Praga vetus distinctaq; muris  
Regales ostentat opes: Ibi strenua facta  
Virtutis dederant iam tunc documenta futura.

Hunc igitur tenera cinctum lanugine malas  
Allegere Patres Mersburgi ad mœnia Sala,  
Ferret opem vt dubijs ob densa pericula rebus  
Præsul; At in sacris pius huic comes esse iubetur,  
Editus Ascanidum Veteri de stirpe Georgus.

1544  
Die 14  
Maij.

Sustulit



*Sustulit hic adytis simulachra antiqua Deorum,  
Iussit & ut vero celebrentur Numina cultu,  
Adiudit & ludos tenera educetur ut etas,  
Et studia ad veterem reuocare incepit honorem,  
Concilium hic etiam sacris de rebus habendum  
Instituit, thalami lites quodiure dirimit.*

1548.

*Sed tandem Patria quia sic exposceret usus,  
Grande resignauit munus thalamisq; pudicis  
Adjiciens animum, fratriq; in parte laborum  
Successit, patriamq; augusta prole beauit.*

*Interea at sumptis vires ostendere in armis*

1544.

*AVGVSTVS voluit, mores imitatos auitos,  
Carolus Imperij qui tum sacra scepra gerebat,  
Vltima Francisco intentabat praelia Regi.*

*Fidam illi cum fratre operam nauabat ad aras  
Victorine tuas (cum castra tremenda stetissent*

*Ad Desiderij fanum non tempore longo)*

*Et Dux ordinibus iam tum praefectus honestis*

*Irrequietum armis furialibus exiit hostem,*

*Et Pacis victo leges extorsit amaras*

*Mauricij auxilio fratris, cui peruigilibat.*

*Omni in sorte comes; cernens Heroica facta*

*Eius, & egregias belli mutabilis artes:*

*Et si ille hunc paucis tantum precederet annis.*

*Ambo sed inuictum te Carole Quinte magistrum*

*Seclari & graue Martis opus te discere ab vno*

*(Cerne quid Heroum possint exempla) volebant.*

1546.

*Deniq; Teutonicis fratri comes haesit in armis,*

*Illius haud iniusta quidem sed idonea tanto*

*Afflicta casu Patria tum castra secutus;*

*Qui partes Aquila censebat turbare in illo*

*Tutius esse sequi, nec eo deceptus abibat*

*Iudicio,*



Iudicio, tristis sed belli ubi fixis adesset,  
In septem numero Procerum, quæis cura legendi,  
Cæsaris, à magno tandem est victore receptus:  
Qui memor emeritæ virtutis, ad Hunnica rura  
Et quæ Gallus arat, conspectæ, ea splendida soluit  
Præmia, & hoc fidum cumalavit honore ministrum.

Max Cimbrum affini iunxit sibi federe Regem,  
Christidos ora decus quo tum non maius habebat.  
Illius in thalamum perducta est nobilis Anna,  
Aina decus matrum, tot heros quæ protulit ora  
Mysniadum: melior modo sors afflasset Olympo,  
Qui mundo invidit iustis velocius annis  
Tantum ostensa bona, & subito ceu turbine raptæ:  
Ploraret Mysus cum Saxone cumq; Turingo,  
CHRISTIANI virtus nisi pensans omnia adesset.

Postquam pro patria iustis germanus in armis  
Occubuit victor, Soceri tum forte benignum  
Hospitium AVGVSTVS coluit, nec parva fuissent  
Damnata timenda domi, ni diuinæ gratia ab auris  
Affulgens patriam Domino seruasset, herumq;  
Seruasset patriæ, quæ tunc afflictæ gemebat.  
Si nescis, DEVS est, procerum qui sceptræ gubernat,  
Nominis Augusti grauis en veneratio gentem  
Subditam in officio & tenuit simul effera castra.

Fortunata igitur regnandi exordia duxit  
Prouidus, à pacis cura studioq; salubri,  
Cum nullam in bello nouisset inesse salutem,  
Impendit primos pietati ritè labores,  
Ingenuasq; artes antiquo in honore locauit,  
Præmia distribuens doctis, duo maxima firmi  
Esse ratus Pietatem Artesq; columna regni,  
His decus Imperij stabiliuit tempore Pacis.

1548. Die  
14. Octob.

1550.

C

Inde



Inde Lycurgæis turritas Legibus vrbes,  
Maestate forum & contrâ vim munijt omnem.  
Quin etiam hoc auo iustissimus extitit auctor,  
Ne rabula exugat clamosis litibus aurum  
Nec quicquam populi, maioraq; bella relinquat,  
Felices populos, ubi bella forensia cessant,  
Lis vesana tacet, iuris tria verba silentur,  
Nam quid opus vana consumere tempora lite?  
Ius ubi tam clarum est, quod causas discutit æqua  
Lance, nec in partem reprobè defleçit utraq;

1554.

Ergo ubi parta quies à belli clade, domiq;  
Publica res exculta, dein cum Principe fœdus  
Agnato renouat qui Ian Fridericus habebat  
Nomen, is Heroum nostri ter maximus aui,  
Ob tolerata diu pro religione fideq;  
Tot mala, magnanimi meruit cognomina, qua non  
Vlla dies memori delebit tempore, nec si  
Secula fatorum versa vice lapsa recurrant.  
Hunc igitur studio sibi tum deuinxit amico  
AVGVSTVS, patriam soluens terrore furorum,  
Causis è medio sublatis, viq; recisa  
Dulibus officijs: coalescit gratia rursus  
Illa vetus, fuerat prius & si qua orta simultas,  
Mersa Styge obruitur, penitusq; à stirpe reuulsa est.

1555.

Non mora, defuncto tanto post principe, tanto,  
Cum Natis iterat fœdus, qua sala vadosis  
Alluit urbem undis: non re sed nomine dicta est  
Quæ noua, & Eghardi Comitæ monumenta reseruat,  
Adfuit & præscum genus à te Carole ducens  
Magne, (tuis Francis qui Romæ sceptrâ parasti,)  
Hessus: & Arctôæ rector mitissimus aule,  
Qui simul hac prænsi sanxerunt lege quietem.

Tempore



Tempore quo locuples Friderico Dania regnum  
 Commisit, sociata testatus gaudia mente  
 AVGVSTVS, pelagiq; minas contempsit & auras  
 Horrifici Boreæ, nauemq; ingressus amata  
 Cum pare, in egregij solennem affinis honorem  
 Danica regna adijt magna comitante caterua:  
 Septingenta equitum capita illa fuisse putantur,  
 In quibus Heroës generosa stirpe creati,  
 Swartzburgaq; domus, & quæ tenet Albidos arcem  
 Barbiacam, nec non de ferri nomine dicta.  
 Quantus honos habitus tibi, quanto, AVGVSTE, fauore  
 Exceptus, studijs quibus & tibi Dania passim  
 Indulgens grata testata sit hospita mentis  
 Officia, hæc alij cecinerunt omnia vates.

1559.

Non mihi nunc etiam CHRISTIANE indiçte manebis 1560.  
 (Nam vellit memorem mihi sexagesimus aurem  
 Annus & admonuit) qui tempore natus in isto  
 Ad spes crexiti Mysorum corda recentes,  
 Vnica de sexu proles meliore parentum  
 Mansura, & regni tam nobilis vnicus hæres,  
 Pertentasse putes quæ quantaq; gaudia patrem?  
 Tum, quando veteres Iouis alto ex limine Parca  
 Accurrere citæ, & paruo crebra oscula nato  
 Figentes, niueq; trahentes velleræ fuso,  
 Fatidico tales fuderunt pectore voces:  
 O fausto nimium cælo diuisq; benignis  
 Nate puer, cresce, & dulces solare parentes,  
 Tuq; boni genitor pueri, & tu regia mater,  
 Eatorum gaudete noua virtute, nouaq;  
 Sorte domus vestra, quæ sese in nub. la cæli  
 Tollit, vt aprius surgit flos pulcher in horto,  
 Nec se quisquam illi formoso conferet ore

Vaticinium  
 Parcarum  
 de nato  
 CHRISTIANO.

C 2

Idole



Indole nec pulchra, quae doctas imbibet artes,  
Mente nec Heroa, si quando in turbine belli  
(Iuppiter hoc tu magne vetes) concurrere ferro  
Forte sit, hoste fero pacem turbante necessum,  
Pace sed hoc nemo melior sese efferet orbe,  
Si bona fata dabunt, patrias nam versus ad artes  
Et superum & populi contentus amore quiescet.  
Procedetq; sub hoc seclis melioribus atas,  
Felicesq; anni & Saturnia regna manebunt,  
Ceu sub patre vigent magno nunc aurea secla,  
Et pax alma colit terras, Astraq; virgo,  
Immersumq; gemit Stygio scelus omne barathro.  
Felices qui tam lato nascentur in auro.  
Tu vero ante alias superis gratissima tellus  
Mysenica, quam tali & tanto dignantur alumno,  
Tu nitidas posthac fruges, arbusq; leta  
Sponte tua, nullog; hominum cogente labore  
Produces, humiles sudabunt mella genista,  
Incultiq; ferent candentia lilia vepres,  
Quin etiam veterum qua stat gelida ora Sudetum,  
Efflorere nouis cernes iuga feta metallis,  
Formicaq; hilares, quarum labor improbus imis  
Personat, & superum tot munera praedicat, antris,  
Aeris, & argenti micas aurig; cauat is  
Lintribus educent nitidas sub luminis auras,  
Et terra inuenient totos sub viscere montes  
Vel nitidas puro aere, rubraue arugine tinctas,  
Et diuersa fluent specie variante metalla,  
Sicut Amalthae de pleno copia cornu  
Seu fodient montes, seu depressas conualles,  
Omnibus argentum constabitur, omnibus aurum,  
Omnibus aq; locis, Etiam sub cespite summo.

Sape



Sape sine ingenti nitet aurea massa labore.  
Finierant Parca, tum Iupiter aethere ab alto  
Intonuit laeum & caeli de parte serena,  
Perspicuus multo fulgor cum lumine falsit.

Rursus ad herbosi coierunt flumina Sala  
Teutonidum Proceres magnis de rebus agentes:  
Publica consilijs queis tum res aucta quibusq;  
AVGVSTI studijs, multorum scripta loquuntur.  
Huic sanè quod floret ad huc Ecclesia Christi,  
Quod non interea est inimica perdit a fraude,  
Debet, & ex illo, stabilem fert tempore pacem,  
Hostium ab insulto immerito defensa, vagisq;  
Vocibus hanc quibus ausa fera allatrare canum vis.

1561.

Concilium ad Mogani vada cerula, Francidos urbis  
Mœnia qua surgunt tot mercibus apta parandis,  
Arbiter Imperij Fernandus habebat, & omnes,  
Caesaris Ausonidum quibus est data cura legendi,  
Ad sacra felici pertraxerat omine vota.

1562.

Non alio plures coierunt tempore Reges  
Teutonidum, tanta est nec magnificentia visa  
Per sex lustra quibus Fernandi sceptrum vigeant.  
Ergo etiam AVGVSTIum splendor, & ardua virtus  
Enituit: Nam iudicio te Maxime multum  
Emiliane suo iuuit, tibi candidus auctor  
Imperij, quem cum reliqui sunt voce secuti  
Optima suadentem, teq; alta in sede locantem,  
Hinc consensus erat, quo te suffragia lectum  
Publica sublimi solio posuere potentem.  
Namq; tua Augustus nôrat dona, optima dona  
Natura, ingenij, sapientis pectoris, oris  
Suaviloqui, herôa mentis, quis cetera dicat?

Post ad Pannonia validis tendebat in armis

1565.

Mixis

C 3



Maximilianus agros, properabat & inclitus Heros,  
Christicolū pauidis Turcos auertere ab oris,  
Cum penitus toto pugnatum est corpore regni,  
Hic ne Thesao qua parte deesset amico,  
Ne totam Imperij qua neglexisse salutem  
Parte videretur, validis plus mille caballis  
Imposuit iuuenes bellig, viq, peritos,  
Thracia & Vngaricis propellere finibus arua  
Iussit: At his iuncta est e lecta pulchra volonum  
Nobilitate manus, media qua parte priorem  
Aequavit numerum: cuius laudata fuerunt  
Officia in summum virtusq, piissima Regem.

1566.

Congressum Imperij post bella grauesq, labores  
Magnus ut indixit populosam Caesar ad urbem,  
Qua se Vinda Lyci vitreis commiscet in undis,  
Huc etiam AVGVSTVS comitatus splendidus iuit,  
Consulere in medium ut posset, Regiq, petitis  
Addere praesidijs animum, in praestantibus ausis:  
Nam tunc in Geticas agitabat praelia gentes,  
Sed cum forte loco Princeps subsisteret illo  
Longius, est perfecta simul res digna relatu,  
Num tunc Germanae moderator Maximus ora  
Contulit AVGVSTO patrij noua iura Ducatus,  
Saxonis hic ubi rura iacent, ubi terra Turingi,  
Et Sorabi, Mysum quem nostro tempore dicunt,  
Tunc etiam, AVGVSTI magnū & venerabile nomen  
Cum foret, & dignus respectus Principe tanto,  
Publica pax iterum custodem accepit ad Albis  
Littora, contiguasq, oras; Procerumq, rogatu  
Decretum tale est sapienti à Cesare factum:  
AVGVSTVS VIDEAT, NE QUID RESPUBLICA DAMNI  
VLLIVS INSIDIIS AVT VI PATIATUR AB HOSTIS.  
Imperij



1567.

Imperij tandem bellum graue nomine gessit  
Ad muros Gotha prisca tuos ( quos condidit olim  
Armipotens nostris Gothus ut consedit in oris )  
Inuitus quanquam seroq; ea tractus ad arma,  
Nam nil pace Duci fuit unquam dulcius, & nil  
Inuisum magis; ac odia, & ciuilia bella,  
Testis erit tolerata modis iniuria multis  
Sapius, & tentata diu rata fadera Pacis,  
Si qua consieri possent sine crimine Regni.  
At postquam occursum est tacitis concursibus, & qua  
O sores placida conflarant dira quietis  
Consilia, in melius res est hoc praeside belli  
Perducta, & disiecta fera commercia turba.  
Ergo & in authores exemplum insigne statutum est,  
Et restincta cito ruituri incendia belli,  
Iniusti & tota passim in ditioe latrones,  
Saxoniae Procerum proauit a laude, repressi.

1568.

Ex in colloquium sacra super arte periti  
( Quae tenet urbs veteri germanum nomen ab arce,  
Pleissenam Sorabi quondam d. xere coloni )  
Instituunt, ut collatis per mutua dictis,  
Corrigerent aliquas sacrorum in munere causas,  
Non ita perfectas nec ab omni parte probatas  
Omnibus; ut crebro studia in diuersa recidunt  
Mortales animi, Fidei de rebus iisdem  
Praesertim: Sic forte hominum peccata tulerunt.  
Quantus in hac causa labor extitit ardor & ingens  
AVGVSTI? testes sunt scripti hac parte libelli.  
Nil equidem magis optauit, quam praeripere omnem  
Rixarum causam, & diras componere lites,  
Omne queis laeo turbantur ouilia Christi.  
Atq; ita non vno Respublica nomine debet

Multis



Multum *AVGVST* Et tua, tot curis libera, cura,  
Insuper & propria ratio est habita altera terre  
Officio verè patrio. Hac Schola condita ad Albim  
Aucta noua stipis are nouo est, precioq; benigno:

1564. &  
deinceps.

Tum quod ad Aonidum cultores attinet illos  
Quèis res arcta domi est, & quos premit inuida sortè  
Pauperies, et si superas euadere ad arces  
Ingenio possent. Namq; his data millia multa  
Annuus ut reditus, Phœbi qui castra sequuntur,  
Complexu foneat placido hic in Leucoris vrbe:

1569.

Tum quoq; prospectum rationibus esse docentum  
*AVGVSTVS* voluit; superatq; ea summa vel aequal  
Omnia, quæ veterum nostro clementia ludo  
Contulit. Hoc verè est regale hoc Cesare dignum.  
Tanta nec vllius est, scio, munificentia Regis.  
Non minus est aliud meritum: Nam nequa subinda

1571.

*& sequenti.* Lis orta ex varijs, non vno interprete, Legum  
Sensibus offendat populorum oracula petentum  
Pectora, & indubitare sacris obdisita Scita  
Responsis faciat, multos lecto ordine Patres  
Quos Themis erudit, collegit in vrbe Mysorum.  
His data Saxonidum prægrandis cura videndi  
Iuris, & ad varios, diuersa negotia, casus,  
Quos referunt, decernendi; quo congrua Legum  
Forma foret, fugerentq; bilingues pulpita sensus.  
Ingentis meriti stabit fama, inclyta fama,  
Dum vehet Albis aquas, & erunt iuga celsa Sudetum.

Cetera quis tenui comprehenderet omnia versu?  
Materia vincor, nec tempus & hora volentem  
Dicere plura sinunt. Multo maiora reseruo.  
Scitis, vos hominum nitidissima lumina, scitis,  
Quanto ardore quibusq; sacri pia munia verbi.

Amplexus



Amplexus studijs toto curauerit auro:  
 Quanta Sacerdotum viduis, natisq; pararit  
 Presidia: ingenij & quantum studijsq; locarit  
 Discendis linguis, atq; artibus; omnibus inquam  
 Artibus, hac hominum queis nescit vitæ carere:  
 Usq; adeo ad viles etiam ut descenderit illas,  
 Quæq; solent à plebe coli, quas fontibus haustas  
 Addidit, Quin turpe sibi nescire putauit,  
 Id quodcunq; cadit sub nostri lumina sensus,  
 Quoq; acies hominum penetrat, penetrauerat ipse,  
 Nec leuiter gustans studia imperfecta reliquit:  
 Ergo etiam ingenij propria vi multa colendo  
 Addidit, & veteres augendo protulit artes.  
 Verè adeo verum est, quod vir doctissimus inquit,  
 Quem lingua castum Latia & docta arte peritum  
 Dulcis ob ingenij dotes **AVGVSTE** fouebas:  
**QVOCVNQVE INGENII AVT ANIMI TVLIT IMPETVS VLLVM,**  
**NATVRAE ID FACILIS MOX EST BONITATE SECVTVS.**  
**ASSIDVO INTENTIS QVAM SENSIBVS AVXIT AMORE.**  
 Quid referam? celeri quod eras certare sagitta  
 Promptus, & appensam plumbo contingere metam.  
 Cum validis flexos curuaret viribus arcus,  
 Promeret & plenis stridentia tela pharetris,  
 Non impunè illi syluis sese obtulit ales  
 Vlla, nec euasit pedibus pernicious vnquam  
 Ceruus in umbroso, cum torserat ærea, saltu,  
 Frustula; siue expulsa cauis glans ferrea cannis  
 Aëra traiceret nitroso puluere adaëta.  
 Doctior haud illo quisquam, seu cominus ense  
 Sine sit opus valida concurrere longius hasta;  
 Sine inflectere equum, & breuibus compscere habenis,  
 Seu libeat laxare, & aperto currere campo.

D

Quid



Quid memorem, namq; hoc ad laudes pertinet amplius,  
Quod minimè πλολιποσθος erat, sed more parentum  
Ornavit celsas passim vel condidit arces.  
Nemine non minus hinc illo celebrabitur olim,  
Quam, qui Nomentum & Gabios urbemq; Fidenam,  
Et Collatinas posuerunt montibus arces,  
Pometios, castrumq;, Inui, Bolamq;, Coramq;.  
Sunt alia: At calamus praesens in tempus omittit  
Omnia, dum meliora meis sint ocia Musis.

Proh sunt momento nobis erepta sub uno  
Tanta bona, & serò demum illa agnoscimus, Eheu,  
Postquam vi subit a factorum amissa dolemus.  
Sic hominum ingenium est, quod congrua fata sequuntur.

Ergo Magne iaces Auguste, hoc tempore, mundo  
Debueras solitam quo tu proferre salutem  
Longius, & meritis cumulum hunc etiam addere magnis.  
O sortem indignam, nobis ó inuida fata,  
Ergo bonis tantum est aliquod male numen amicum,  
Et bona quaeq; rapit dura inclementia Parca?  
Sic hominum fatum est. At vos aduertite ciues  
Attonitos animos, aduertite, fundite fletus,  
Exuite hos mores, meliori assuescite vita,  
Flectite voce precante DEVM: Neq; enim omine paruo  
Grandibus exequijs operamur, fata supersunt  
Heu mala, crudelem nobis minit antia cladem;  
(Omina verte DEVS) Nam cum cecidere DEORVM;  
EXEMPLA, haud cedunt felicia tempora mundo.  
Ceu cum dira bonos rapuit mors ordine primo,  
Fex populi manet, ut vindicta sentiat aeternum.  
Sed neq; iam lachrymis, aut questu fata mouentur:  
Non Parca aut nostras audit Mors surda querelas,  
Et nunc ille quidem vitai perpetis vsu

Securus



Securus fruitur, suprag, hæc lubrica mundi  
Gaudia, & humanos longè exaltatus honores  
Ambrosio pede calcat onus grauium omne laborum:  
Nos miseri interea fragili dum vescimur aura,  
Versat ad hinc triste exitium mæroribus agris,  
Et lachrymosa dies inopino turbine versat:  
Quodq, usu venit, fors an cras mane, vel orto  
Vespere, quis credat? nos hinc alia ire recens mors  
Ad lamenta iubet, madidosq, resumere vultus,  
Vsq, adeo nihil hæc præter suspiria vita est.

Magne Auguste vale, viue: Optime viue, valeq,  
Auguste, has lachrymas imo & suspiria corde  
Consecro tracta tibi, & submisso more parento.  
Namq, recordor, erant etiam tibi carmina cura  
Nostra, nec exiles aspernabaris auenas;  
Subsidioq, pio dein Saxona gesta canentem  
Regia me nuper tua munificentia fouit,  
Pro quibus officijs etiam hos tibi dedico versus,  
Plures fortè, sinent ubi mitia fata daturus.

Vos mecum, ô Vates, tumulum has iuxta Albidos undas  
Æternum extruite, & beneolentes spargite flores,  
Narcissum atq, rosas, & suaue rubentem Hyacinthum,  
Purpureumq, Amaranthum, atq, auricomum Chrysanthum,  
Inde umbras hedera lauroq, inducite opacas,  
Nec desint casia permixtaq, cinnama amomo:  
Dilexisti multum doctos AVGVSTE Poëtas,  
Et tu dignus eras celebrari carmine Vatum,  
Nam qui digna gerit Musis, dat premia Musis,  
Cuiq, placet virtus, non odit & ille Poëtas,  
Virtutis testes, quos hæc sibi iungere gaudet.

Magne AVGVSTE vale, viue, Optime viue, valeq,  
AVGVSTE, hoc aui mihi quod concedet Apollo,

Hoc



Hoc te unum canet, hoc uni tibi seruiet omne:  
Nes quicquam magis optarim, quam digna triumphis  
Posse tuis, videorq, canens tuo maxima facta  
Inferior nullo, non & Macrone disertus,  
Pieridum nostro qui Dux est maximus aeo,  
Interea spargent flores, & sarta Camena,  
Et tumulo mesta inscribent miserabile carmen:  
AVGVSTVM postquam rapuerunt inuida fata  
Et Deus aethereas nouus est translatus ad arces,  
Exijt è mundo Titan, & consitus atra est  
Nube dies, sunt candida nigra, & dulcia amara.

D I X I.






ULB Halle 3  
001 371 010











h. 24, 15. CR. XXIV, 15.

V<sup>c</sup>  
2918

# Oratio

Carmine scripta in obitum

ILLVSTRISSIMI  
ET POTENTISSIMI  
Principis ac Dn. Dn. AVGVSTI Ducis  
Saxoniae, S. R. I. Archimarschalli & cre-  
andis Impp. R. Vllviri, Landgrafij  
Tur. March. Mysn. & Burg-  
grafij Magdeburg. &c.

HEROIS INCOMPARA-  
BILIS, ET IMMORTALIS.

Pronunciata in publico congressu Acade-  
miae VVitebergensis.

*Subiectissimae gratitudinis ergo à*  
PETRO ALBINO  
Niuemontio Profess. Publ.



VVITEBERGÆ  
Excudebat Matthæus VVelack.  
Anno M. D. LXXXVI.